DISPUTATIO JURIDICA

De

In litem jurando,

Quam

Divina ſuffragante gratiâ

Conſenſu Ampliſſimi JCtorum Ordinis in inclyta Wittebergâ,

Sub PRÆSIDIO

VIRI Ampliſſimi & Conſultiſſimi,

DN. CONRADI CARPZOVII, J.U.D.

Profeſſ. Publ. Curiæ Provincialis, nec non Facultatis Juridicæ Adſeſſoris, Præceptoris ſui obſervandi,

Publicæ diſquiſitioni exponit

JOHAN Friedrich Frieſendorff/ Bremenſis,

Ad diem 30. Januarii horis matutinis in Auditorio JCtorum.

WITTEBERGÆ,

Exſcripta typis CHRISTIANI THAM, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXIV.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

THESIS I.

INterdum vero domino res ſua à poſſeſſore contumaci non reſtituitur, aut ejus dolo malo reſtitui nequit, & ſic quaſi neceſſitas vendendi domino imponitur, ut ipſi meritò rem ſuam æſtimandi & pretium pro arbitrio ſtatuendi facultas ſit permittenda. Interdum ex culpa res reſtitui non poteſt, ubi quod intereſt domini, ſolum æſtimatur.

II.

Hoc per juramentum in litem efficitur; eſtq; Jusjurandum, quod à judice delatum, in ipſam litis ſive rei in judicium deductæ & non præſtitæ ab adverſario, æſtimationem actor interponit.

III.

Et duplex à DD. rectè conſtituitur: Unum Affectionis, alterum veritatis. Illud eſt, quo Actor in æſtimationem litis pro ſuo arbitrio etiam ultra verum rei pretium, ob contumaciam aut dolum adverſarii rem, de qua agitur, non præſtantis, commiſſum, jurat, ut in eam æſtimationem à judice adverſarius condemnetur.

IV.

Juramentum Veritatis eſt, quod actor, in veram rei, quæ in judicium deducta, & culpa adverſarii præſtari non poteſt, æſtimationem interponit.

V.

Juramentum affectionis Judicem deferre oportet; cœterum ſi alius detulerit jusjurandum: vel eo non delato juratum ſit: nulla erit religio, nec ullum jusjurandum.

VI.

Cumq; Judici non aliter liceat, quam jus & æquum exigit, judicare & iniquum ſit, actorem invitum re ſua privari, Judicem jusjurandum in litem deferre neceſſe habere, nec eſſe in poteſtate ipſius

illud non deferre, ſi reus dolo malo poſſidere deſierit, ſin autem poſſideat & contumax exiſtat arbitrio ejus relinqui, verius videtur.

VII.

Soli autem actori defertur & alium in litem non debere jurare, quam dominum litis, qui litem ſuo nomine conteſtatus eſt, jure manifeſto conſtat.

IIX.

Cui conſequens eſt, procuratori, qui non eſt dominus litis, cum non ſuum negotium ſed alienum adminiſtret; & quamvis poſt litem conteſtatam dominus litis efficiatur, ſuo nomine tamen non eſt litem conteſtatus, hoc juramentum deferri non poſſe.

IX.

Sic Pupillus cum ſine tutore legitimam perſonam ſtandi in judicio non habeat, ſed tutore Auctore & agere & conveniri poſſit, non tam ipſe quam tutor litem conteſtari videtur; hunc itaq; impuberem in litem non jurare expediti juris eſt.

X.

Nec mater ipſius quamvis jurare parata ſit, admittenda; quod non propter affectum maternum, ſed quia non eſt domina litis contra Accurſium cum Bartolo & Jaſone verius putamus.

XI.

Tutoribus & Curatoribus, cum pupilli vel adulti nomine agunt, jusjurandum in litem defertur, ſi propter affectionem, quam erga pupillum vel adoleſcentem habent, velint in litem jurare; dominorum enim loco habentur, quantum ad providentiam pupillarem.

XII.

Nam alieno nomine agentes, cum ignorantiam ejus rei de qua agitur, habere poſſint, ad jurandum non coguntur; grave enim videbatur & ignorantes & invitos tutores & curatores, ſub alieni compendii emolumento perjurium anceps ſubire.

XIII.

Cumq; hodie mater liberorum ſuorum tutelam ſuſtinere queat, nomine filii, cujus tutelam adminiſtrat, tanquam tutrix, volens in litem jurare poteſt.

XIV. Quo-

XIV.

Quomodo autem pupillo ſuccurrendum, ſi tutor aut curator ipſius nomine agens in litem jurare noluerit? juri conveniens videtur, id quod interfuit Judicis officio æſtimandum eſſe.

XV.

Adoleſcenti, qui dominus litis eſt & litem ſuo nomine conteſtatur, ſi velit jurare, juris auctoritas non refragabitur.

XVI.

Actor autem neceſſitate juris publici, ut juret, cogi non poteſt, quando enim jurare non vult, ſed quanti res ſit, adverſarium condemnari maluit, morem ei gerendum eſſe Paulus ait.

XVII.

Defertur hoc jusjurandum contra reum, dolo aut contumacia rem petitam reſtituere vel exhibere nolentem; hæc enim punienda eſt & arbitrio domini res pretium ſtatuendum, poteſtate petitori in litem jurandi conceſſa.

XIIX.

Ob latam etiam culpam, quæ dolo æquiparatur, jusjurandum in litem deferri poteſt.

XIX.

Adverſus hæredes ex dolo defuncti, niſi lis cum eo fuerit conteſtata, hoc juramentum non competit; ex proprio tamen dolo contra eos in litem juratur.

XX.

In omnibus autem actionibus in rem, ſive ſint de rebus ſingulis, ſive de Univerſitate, & ſive ſint de re corporali, ſive incorporali, jusjurandum in litem defertur.

XXI.

In omni igitur ſpeciali rei vindicatione ſive ex legitimis & civilibus cauſis deſcendat, ſive eam Prætor ex ſua Jurisdictione comparatam habeat, qualis eſt; Publicana, Reſciſſoria, Pauliana, Serviana & quaſi Serviana ſive hypothecaria hoc jusjurandum receptum eſt.

XXII.

Sic & in univerſali rei Vindicatione, qualis eſt hæreditatis petitio, in litem jurari poteſt.

XXIII.

Item in actionibus tam confeſſoria quam negatoria, quarum illa ſervitus vindicatur, hac vero ad alium pertinere negatur, jusjurandum illud deferri, juris manifeſti eſt.

XXIV.

In aliis quoque arbitrariis judiciis, ex quibus arbitratu & juſſu judicis aliquid reſtituere vel exhibere tenetur reus, veluti actione quod metus cauſa, actione doli & cæteris ejus generis actionibus, actor poteſt in litem jurare.

XXV.

Idem eſt in omnibus interdictis, ex quibus arbitratu judicis aliquid reſtituitur. Item in actione ad exhibendum, propter Vindicationes inducta.

XXVI.

Item in litem juratur in omnibus bonæ fidei & ſtrictis actionibus, quibus agitur ad reſtitutionem rei, quæ à nobis profecta & tradita jus noſtrum non immutavit, ejusmodi ſunt: Commodati, Depoſiti, Locati, Dotis & tutelæ actiones.

XXVII.

In actione autem ex empto in litem non juratur, etiamſi Venditor & tradendi facultatem habeat & dolo tradere ceſſet, quod & in reliquis bonæ fidei judiciis, in quibus de reſtitutione rei non agitur, verum eſt.

XXIIX.

Ejuſdem juris eſt, ſi actor rem, quæ in genere ſuo functiooem recipit, veluti nummos, vinum, oleum, frumentum &c. ab Adverſario petit.

XXIX.

Defertur autem hoc juramentum in ſolis bonæ fidei judiciis directis, non etiam contrariis.

XXX.

Cum autem certa quantitas, ad quam uſq; juretur, à legibus non adjiciatur, actor in infinitum, ſine ulla taxatione poteſt jurare; arbitrio tamen judicis congruit, taxationem jurijurando adjicere, ne arrepta occaſione in immenſum juretur.

XXXI.

XXXI.

Sed hoc juramento præſtito, non poteſt amplius judex actori modum adjicere, ſed illud omnino ſequi tenetur, & reum prorſus abſolvere vel etiam minoris condemnare nequit.

XXXII.

Niſi ex magna cauſa, qua jusjurandum hoc rejici poteſt; ſi poſſeſſorem dolo poſſidere non deſiiſſe, aut actorem rei dominum non eſſe doceatur, de quo poſtea probationes reperiuntur.

XXXIII.

Succedit nunc Jusjurandum in litem, quo juratur quanti res ſit, quod Veritatis juramentum cum D D. appellavimus: quod eodem modo, quo juramentum affectionis, à ſolo judice, ſoli actori defertur.

XXXIV.

Rectè autem in omnibus ſtricti juris & bonæ fidei judiciis, in quibus non ex arbitrio actoris in litem juratur, veritatis juramentum interponitur.

XXXV.

Modò dolus & culpa, vel ſaltem culpa debitoris intercedat, quæ rei interitum & deteriorationem produxit, ejuſq; probandæ æſtimationis accedat difficultas; Sic enim judex rem, quæ non extat, abſq; delatione jurisjurandi, ſine injuria aut actoris aut debitoris æſtimare non poteſt.

XXXVI.

Et non ſolum de rei principalis, ſed etiam ejus quod intereſt æſtimatione juratur; ut ſi res, cujus certa æſtimatio eſt, tempore deſtinato non præſtetur, debitor non tantum in rem ipſam, ſed et iam in id, quod actoris intereſt eam ſua die præſtitam eſſe teneatur.

XXXVII.

Hoc juramentum quando defertur, antequam juretur, judicem taxare poſſe, non verò quando Juratum ſit. Bartolus putat.

XXXIIX.

Quamvis autem de perjurio facilè quæri non ſoleat, ex juſta tamen causâ, repertis ſcilicet poſtea inſtrumentis & hoc jusjurandum retractari poſſe verius videtur.

XXXIX.

XXXIX.

Jurijurando in litem cognatum eſt juramentum minutionis, quod ſecundum Rauchbarum, in foro Saxonico appellatur, quo reus, ob vim illatam, conventus, damnum quod hoc nomine datum eſt, ab actore æſtimatum moderatur ac diminuit, vulgo appellant den Verminderungs Eyd.

XL.

Utrumque enim à Judice imponitur, utroq; etiam res abreptæ vel invaſæ, ſeu damna data æſtimantur, ſic utriq; ita demum locus eſt, ſi adſit probationum difficultas.

XLI.

Juramentum tamen minutionis hoc ſingulare habet, quod non actori ſed reo deferatur; ob ſolam violentiam & injuriam realem perſonæ illatam, imponatur, & quæ ſunt alia, de quibus videatur Hartmannus Piſtorius & Rauchbarus.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.